



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Abbati Et Conventvi sancti Germani de Pratis Parisiensis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20020**

Cenadiensem Episcopum loci dioecesanum monere prudenter & efficaciter inducere non postponas ut pro suis iustitiis, quas de ipsis esset possessionibus percepturus, ab eodem Comite moderatam recompensationem recipiat, & superabundantem gratiam recognoscat quam ei facimus in hac parte, cum in huiusmodi fundo absque omni recompensatione libera posset Ecclesia fabricari, sicut Hospitalariis & Templariis aliisque nonnullis per privilegia est concessum. Quod si monitis tuis memoratus Episcopus acquiescere forte nollet, tu id auctoritate nostra sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo exequi non omittas, recipiens in utroque casu praefatum fundum in jus & proprietatem apostolicæ sedis per publicum instrumentum, & concedens eidem ædificandi Ecclesiam in eodem liberam facultatem. Præterea cum idem Comes decimas quas praefato Episcopo persolvere consuevit, eidem Ecclesiæ cupiat assignari, compensatione propter hoc ipsi exhibita competenti, volumus & mandamus ut eundem Episcopum monere ad hoc prudenter & efficaciter inducere non retardes. Datum Laterani II. Kal. Iulij, anno tertio decimo.

**ABBATI ET CONVENTUI**  
*sancti Germani de Pratis Parisiensis.*

*Epist. 90.  
De muris ur-  
bis Paris.*

**C**um per medium vinearum vestrarum infra parrochiam sancti Sulpicii positarum, quæ ad vestrum monasterium pertinet pleno jure, ad munitionem civitatis Parisiensis construantur de novo muri, sicut ex vestra insinuatione didicimus, provideri super hoc vobis auctoritate apostolica petiistis. Ne igitur huiusmodi occasione murorum parrochiale jus in monasterij vestri dispendium immutetur, præsentium vobis auctoritate concedimus ut idem jus in ædificiis ejusdem parrochiæ construendis & ipsorum habitatoribus habeatis quod in ipsius veteribus ædificiis & habitatoribus eorundem dinoscimini hæcenus habuisse. Nulli ergo &c. hanc paginam nostræ concessionis infringere vel ei &c. usque incursum. Datum Laterani IV. Kal. Iulij, pontificatus nostri anno tertio decimo.

**E I S D E M.**

*Epist. 91.  
Confirmatur  
eis privilegium  
Lucij Papæ.*

**Q**uanto specialius monasterium vestrum beati Petri juris existit, & majorem devotionem apostolicæ sedi sapius exhibetis, tanto celerius, ubi cum Deo possumus, petitiones vestras admittimus, & indemnitati monasterij vestri volumus

attentius providere. Eapropter ad exemplar felicis recordationis Lucij Papæ prædecessoris nostri auctoritate apostolica prohibemus ne illi qui terras, vineas, aut domos censuales nomine vestro tenent, aliis ad majorem censum sine assensu vestro concedant, neque alienis personis vel Ecclesiis in eis sine vestra licentia pensionem aliquam annuatim solvendam assignent, per quæ monasterio vestro dispendium valeat provenire. Nulli ergo &c. hanc paginam nostræ prohibitionis infringere vel ei &c. usque incursum. Datum Laterani V. Kal. Iulij &c.

**SANCTÆ MARIÆ DOLENSIS**  
*& sancti Iohannis Angelicæ Abbatis  
Biuuricensis & Xantonensis dioecesanæ,  
& Archidiacono Biuuricensis.*

**E**X parte venerabilis fratris nostri Burdegalenensis Archiepiscopi per dilectum filium G. procuratorem ejusdem fuit propositum coram nobis quod cum venerabilis frater noster Turonensis Archiepiscopus de mandato nostro insisteret, & tam gravamen Petragoricensis Ecclesiæ metropolitico sibi jure subiectæ, quæ magnis dispendiis & laboribus diutius fuerat fatigata, quam consueta quorundam malitia consecrationem Petragoricensis Episcopi volentium impedire, accelerandam ipsius consecrationem Episcopi perurgerent, & non nisi tres tantum Episcopi essent in Burdegalensi provincia tunc præsentis, venerabili fratri nostro Pictaveni Episcopo, qui ex quo promotus fuit in Episcopum, nunquam metropolitanam Ecclesiam postmodum visitavit, licet pluries vocatus fuerit ad eandem, in virtute obedientiæ ac sub debito juramenti quo Ecclesiæ Burdegalensi tenetur, pœna suspensionis adjecta, præcepit ut ad consecrationem ipsius Episcopi properaret. Et ut omnis occasionis materia tolleretur, licet nullum periculum immineret, cum generales treugæ inter Francorum & Angliæ Reges inire servarentur, tam per litteras Senescalci Regis Angliæ, qui regalium negotiorum procuratorem habebat in eisdem partibus generalem, quam per venerabilem fratrem nostrum Henricum Episcopum Xantonensem, qui eum securum ducere ac reducere promittebat, securum conductum preparavit eidem. Sed idem & venire postposuit, & suspensionis sententiam non servavit. Cumque postmodum idem Archiepiscopus ad locum quem de nuntiorum ipsius Episcopi voluntate in Pictaveni diocesi